

cuius nullam fidem apud viros sentatos inueniet.

6. Quæres, vtrum ignis fatuus conducatur ad præcipitia.

Respondeo, esse meras nugas, quæ vix sine risu excipi possunt, nempe fortè aliquando accidit, vt profundiori cloacæ incumberet; hinc factum est, vt ad præcipitia ducere crederetur.

7. Quæres, vtrum aliquem crepitum edat.

Respondeo, hoc fieri posse, sic illæ scintillæ, quæ ex affricu pellis felinæ assurgunt, similem crepitum edunt; eundem crepitum nitrum edit, dum vritur, imò & alia multa, v.gr. solus humor candenti ferro affusus; in iis quæ friguntur, aliam analogiam habes.

8. Ignis lambens est exhalatio accensa, quæ ex hominis capite filatim ascendit; sic ex capite ferocientis equi scintillæ emicant, sic ex pelle felina, per affricu, sic ex multorum oculis, lux emicare dicitur: & verò animal multo igne constat, hinc calidum sentitur; igitur non mirum est, si casu aliquo ita implicentur ignis filamina, in auolante halitu, vt tandem excusso, discretoque humore, in tenuissimam flammam abeat; vtrum verò inde aliquod præsagium futuræ sortis accipi possit, crediderunt antiqui superstitiosius, quàm verius.

9. In mari sæpe accenduntur illi ignes, qui si gemini sint, Castor & Pollux dicuntur; si verò vnus tantum, Helena: adhærent autem vel antennis nauis, vel malo, vel velis, propter pinguedinem, vel vli-ginem; accenduntur in pingui halitu, excusso scilicet, vel discreto humore, quomodocumque tandem

id fiat; sic enim omnis ignis accenditur, nempe inde tantum partes ignis colligi possunt; quod autem mare non modicam pinguioris halitus portionem suppeditet, dubium nemini esse potest; discurrunt porò prædicti ignes per nauigium, sunt enim facilè mobiles, & ab aère agitato quoquouersum feruntur; aliquando tempestatem præsagiunt, non tamen certò futuram, nempe inde colligitur, sub illo aëris tractu multum halitum esse, eumque heterogeneum; hæc autem heterogenei aëris ratio non parum ad ventum facit, vt superiore libro dictum est.

10. Dum noctu sæuit tempestatas, scintillæ quædam ex fluctibus emicare videntur, nempe motu illo humor excutitur, atque adeò quædam ignis particulæ colliguntur: idem fere accidit dum remis mare verberatur, vt aliquando obseruau; quædam enim modica lux inde resultat, quam aliquando à stellarum reflexione esse putabam, sed cum nubilo & obscurissimo cœlo melius appareat, illam certè à prædicta reflexione non esse, vel hoc experimento euincitur.

11. Quæres, vtrum dici possit per antiperistasis huiusmodi ignes accendi.

Respondeo, hoc dici non posse, saltem eo modo, quo antiperistasis à Scholasticis explicatur; fieri tamen potest, vt frigore nocturno concrefcens vaporis portio, descendat, ac proinde reliquæ halitus partes, scilicet ignis, colligantur; & verò partim hoc modo, partim per motum quemdam excussionis, ignes prædicti accenduntur.